



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 168. Cardinalium ad Papam deputatorum relatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV. Et ab ipso Concilio approbata. V. Pra-
A.C. 1415. latis, aliisque, qui Concilio interesse tene-
runt, ante finem Concilii abire licitum non esse,
nisi ex rationabili caussa prius examinan-
da per Deputatos a Concilio. Omnes
 hosce articulos cuiuslibet Nationis Depu-
 tati suo quisque ordine approbarunt, &
 desuper publicum instrumentum confici-
 juserunt.

§. CLXVIII.

*Cardinalium ad Papam deputatorum
relatio.*

Schelstr. in adt. Conc. Const. p. 200. Absoluta hac Sessione rediere tres illi
 Cardinales ad Joannem Papam able-
 gati, comitantibus eosdem Cardinale Pi-
 fano & Cardinale de Chalanto, qui prius
 Pontificem sequebantur. Hos, ut audi-
 rent, Nationum Deputati coram Impera-
 tore conventum agunt. Haud dubie
 hosce Legatos quævis fausta Concilio de-
 nunciaturos sperabant omnes, verum a
 nimo concidebant Patres, cum hos Car-
 dinales post plurimas ambages etiam a
 perte tueri intelligerent, Synodum absen-
 te Papa dissolutam censi, hunc vero
 minime Concilio inferiorem esse. Inde
 ultro citroque admodum fervens exorta
 est disceptatio. Dumque hæc gereban-
 tur, Cardinalium nonnulli edictum Joan-
 nis

nis affigunt, quo Papa omnes Cardinales, *Sæcul. XV.*
 suosque Ministros sub poena anathema- *A. C. 1415.*
 tis infra unius septimanæ terminum ad
 se revocat. Ast hic libellus insciis Car-
 dinalibus a foribus abstractus ad Patres
 in unum congregatos desertur, qui eis-
 dem exprobrant, quod suis conatibus pa-
 cis adeo certo promissæ expectationem
 fallerent. Respondent Cardinales, non
 suo jussu hoc scriptum fuisse publicatum,
 bene tamen illud die sequenti publican-
 dum fore, compertum habuisse. Quæ
 cuncta tantum valuerunt, ut re infecta
 congregatio soluta, & ad alteram diem
 vigesimam septimam Martii dilata fuerit,
 in qua Cardinales Scaphusia redeuntes
 audirentur.

§. CLXIX.

Congregatio de eodem negotio habita.

Intervenerat Imperator, legitque Car- *Vander*
 dinalis Pisanus auctoritate Pontificis *Hardt tom.*
 quosdam articulos, quibus haud obscure *4. p. 76.*
 significabatur, Joannem nullatenus cede-
 re, sed potius sibi soli Papatum firmius
 afferere decreuisse. Imperator unacum
 tribus Nationibus perspecta Pontificis
 pertinacia acrius commotus Concilium
 continuari, ac quartam etiam Sessionem
 celebrari postulat. Interea tamen altera
 die